

# «INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

## *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (56)*

### *14.3. De initio administrationis deque Archiabbatis resignatione (3)*

Digressio: QUAEDAM SUPPLENDIA

#### 1. De reliqua vita Norberti Weber

Postquam Germaniam reliquit, vita Archiabbatis Norberti scilicet nondum erat finita. Itaque scitū dignum est, quid īdem, qui duodetriginta annos Abbatiae Congregationique praeerat, resignatione actā fecerit.

Primo Archiabbas Norbertus iter in Africam Orientalem suscepit, quo se retrahere atque ubi reliquos annos vitae degere voluit.<sup>1</sup> Medio mense Iulio a. 1931<sup>i</sup> in urbem Daressalamensem advēnit, unde brevi pausā interpositā in initio mensis Augusti a. 1931<sup>i</sup> in regionem Lindiensem se contulit, regionem missionariam Benedictinorum.<sup>2</sup> Post adventum suum ab Abbatē Gallo Steiger invitatus primo in loco Peramiho versabatur, id quod non erat decretum definitivum, cum Abbas Gallus Archiabbi resignato libere eligendum reliquisset, quā in statione sedem suam sumere vellet.<sup>3</sup>

Cum inde ex ultima commoratione Archiabbatis Norberti in Africa Orientali,

---

1 Breviter de commoratione Norberti Weber in Africa inde ab anno 1931° *cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 183 sqq.; Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 173 sqq.; Godfrey SIEBER (1992), p. 137; Godfrey SIEBER (2016), p. 120; Angelika SCHUSTER-FOX: «Dominus providebit». In: Rhaeten-Herold 61 / Nr. 552, 2011, pp. 5 sq.

Multa etiam comperimus ex commercio epistulari Norberti Weber, quod imprimis cum Abbatē Primate Fideli von Stotzingen, cum episcopo Thoma Spreiter et cum P.re Engelberto Giersbach habuit. Commercium epistulare quidem non iam est nimis extentum, tamen non neglegendum. Scitū dignum praesertim sunt epistulae cum episcopo Thoma Spreiter commutata, quocum Archiabbas ante resignationem suam saepius dissensiones habuerat. Sed ultimum commercium epistulare cum eodem habitum vere amicale est, quo saepe themata quōque magis generalia ad missionem Congregationemque spectantia tractantur, quae themata Norberti Weber adhuc intererant. Hōc in conexū magnus consensus inter ipsos animadvertisit, quod attinet ad singulas quaestiones diiudicandas. - Fideli von Stotzingen vitā functo (9.1.1947), quocum amicitiā coniunctus erat, Norbertus Weber nullum commercium epistulare cum novo Abbatē Primate Bernhardo Kälin incohavit, cum inter ipsos coniunctio personalis non exstaret.

2 *Cfr* epistula Galli Steiger die 31 m. Iul. a. 1931 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.01.17).

3 *Cfr* epistula Galli Steiger die 3 m. Ian. a. 1932 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.01.17).

quae erat anno 1911/12<sup>o</sup> multa mutata essent et interea etiam multae stationes novae conditae essent, bona cogitatio erat eum in initio anni 1932<sup>i</sup> iter circulare facere ad plures stationes missionarias in regione Peramihensi sitas, ut ipsos locos atque homines ibi habitantes cognosceret. Officialis causa huius itineris circularis erat officium, quo in unāquāque statione Sororibus, Patribus Fratribusque exercitia spiritualia exhiberet.<sup>4</sup> Hoc munus Norbertus Weber statim et, ut videtur, libenter suscepit, cum hunc laborem esse «*pulchrum atque solacii plenum*» et «*bonam partem laboris missonarii*» describeret.<sup>5</sup> Hoc inceptum erat vere bonum, ut Archiabbati Norberto ab initio monstraretur eum necessarium esse atque eum in misione usui esse posse.<sup>6</sup> - Ut semper ibi commoraretur, Archiabbas Norbertus denique sibi elegit stationem Litembo, cui illo tempore P. Beatus Iten praeerat.<sup>7</sup>

Archiabbas Norbertus inde ex initio commemorationis suae in Africa Orientali sibi proposuit, ut, quantum fieri potuit, se utilem praeberet atque cooperaretur, ubi indigentia esset.<sup>8</sup> Hoc propositum explevit multiplici modo per longissimum spatium temporis, id est paucis septimanis ante mortem, tamen ultimis annis saepe nimium sibi imponens. Fieri potuit haec cooperatio etiam eā de causā, quia condicio eius valetudinis, quae ultimis annis Ottiliensibus

---

4 Agebatur de stationibus Litembo, Lituhi, Kigonsera, Mtitimbi, Matimira et commoratione in loco Peramaho interpositā denique de stationibus Mahenje atque Lugawara. - *Cfr* epistula Galli Steiger die 9 m. Ian. a. 1932 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.01.17); epistula Norberti Weber die 24 m. Febr. a. 1932 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578).

5 Epistula Norberti Weber die 24 m. Febr. a. 1932 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, APr 578).


6 Thomas Spreiter in epistulā diei 15 m. Iun. a. 1931 (ASO Z.3.01.17) erga Gallum Steiger sententiam protulerat ipsum aestimare Archiabbatem Norbertum esse virum fractum, qui non iam multum laborare et etiam linguam non iam addiscere posset. - Hac aestimatione episcopus Thomas magnā ex parte erravit.

7 Archiabbas Norbertus videtur aliquando dixisse se libenter in statione Mahenje habitatum esse, ubi P. Osvaldus Friedl erat. Tamen Abbas Gallus putavit illam stationem propter condiciones locales ibi vigentes non esse aptam. - *Cfr* epistula Galli Steiger die 31 m. Iul. a. 1931 ad Thomam Spreiter data (ASO, Z.3.01.17).

8 Ipsius propriae adnotationes de hac re inveniuntur ex.gr. in epistula die 24 m. Febr. a. 1932 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578); epistula die 26 m. Ian. a. 1933 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578); epistula die 16 m. Febr. a. 1934 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578); epistula die 15 m. Mart. a. 1937 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578).

satis affecta erat, climate Africae Orientalis meliorata atque stabilita erat.<sup>9</sup>

Quibus autem rebus Archiabbas Norbertus tunc occupatus erat? Eius labores et erant ampla et praeterea plures aspectūs habebant. Nam unā ex parte munera in ipsā missione suscepit. Cottidie missam celebravit et munere sacerdotis spiritualis in parvo Sororum Conventū stationis Litembo functus est atque regulariter eis relationes praebuit. Praeterea munere sacerdotis fungens auxilium tulit, cum Christianis ad stationem pertinentibus occasio confessionis praebita est.<sup>10</sup> Cum statio missionaria Litembo continenter



*In loco Nangombo anno 1934º pueri baptizandi  
ab Archiabate Norberto rosaria accipiunt.*

amplificaretur et illo tempore circiter septem milia Christianorum ibidem numerarentur, auxilium Archiabbatis Norberti certe vere exoptatum erat.<sup>11</sup>

9 Hunc in modum saepius in commercio epistulari cum Fideli von Stotzingen (ASA, APr 578) et cum P.re Engelberto Giersbach (ASO, K FG 9 IIa) locutus est. - Tamen ibidem etiam adnotationes inveniuntur de problematis valetudinis atque de signis vetustatis, quae dicuntur et quae decursū temporis apparuerunt. - Fortasse illa valetudinis melioratio, quam Archiabbas Norbertus sensit, praeter alia etiam inde exorta est, quia oneribus vehementibus atque curis liberatus erat, quae in Archiabatī Congregationeque ducendis afferebantur, et quia ipse responsalitatem aliis tradere potuit.

10 Decursū annorum Norbertus Weber confessionem audire magis magisque laboriosum esse existimavit, cum vetustatis causā ipsius auditus peior redditus est. *Cfr* epistula Norberti Weber die 23 m. Iun. a. 1955 ad Engelbertum Giersbach data (ASO, K FG 9 IIa).

11 In conexū magnae copiae laborum, quos exanclavit, Norbertus Weber saepius de indigentia cooperatorum scripsit, quae in regione missionariā vigeret (*cfr* ex.gr. epistula die 17 m. Nov. a. 1934 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578); epistula die 23

Loquularis scientia crescens Archiabbatis resignati hōc in conexū certe erat emolumento. Magni momenti etiam erat eum in baptismatis atque in chrismationibus cooperatum esse, quibus in rebus opera ipsius non solum ad stationem Litembo spectabat, cum praeterea varia itinera ad sollemnitates chrismationis exhibendas suscepisset. Insuper usque in summam senectutem multa exercitia Patribus, Fratribus Sororibusque destinata exhibuit, ad quae etiam itinera circularia fecit. Notatū dignum est Archiabbatem Norbertum mense Augusto Septembrive anni 1952° pae-



*Archiabbas Norbertus anno 1950  
in statione Litembo chrismationem praebet.*

lem itineratum esse, cum Vicariatū Eshowe Vicarius Apostolicus episcopus Aurelianu Bilgeri<sup>12</sup> eum rogaverat, ut in loco Inkamana atque nonnullis in aliis stationibus missionariis exercitia exhiberet.

Praeter illos labores Archiabbas Norbertus in rebus cottidianis agendis ad multiplicia auxilia practica praebenda adstitit.<sup>13</sup> Sed etiam alias res curavit, quibus exaedificationem oeconomicam missionis iuvit. Sic contactibus coniunctionibusque adhuc exstantibus ei contigit, ut satis pecuniae acquireret, ut nonnullas machinas pro statione missionaria emeret.<sup>14</sup> Praeterea iam

---

m. Iun. a. 1955 ad Engelbertum Giersbach directa (ASO, K FG 9 IIa). Hac re in memoriam venit sententia compluries iterata omnium missionis Superiorum: «*Mihi desunt Patres et pecunia.*»

12 Aurelianu Bilgeri (1909-1973) ut successor episcopi Thomae Spreiter die 12 m. Iun. a. 1947 Vicarius Apostolicus Vicariatū Eshowe redditus est. - De re ipsa *vide* futuram partem quintam huius historiae.

13 Huiusmodi genus laborum Norberti Weber commemorat Hermengild WALTER: Ein treuer Diener seines Herrn. Ein Erinnerungsmal für + Erzabt Norbert Weber O.S.B. In: Mbl 51, 1956, p. 168.

14 Talia refert Hermengild WALTER: Ein treuer Diener seines Herrn. In: Mbl 51, 1956, p. 168. - Norbertus Weber hōc in commercio suo epistulari non commemoravit.

satis mature in statione Litembo magnum programma horticulturae excoluit, in quo promovendo ipse actuose cooperatus est.<sup>15</sup> - Propria autem assiduitas ipsius scriptoria tempore Africano tantummodo nonnullis contributionibus «*Paginis missionariis*» Ottilianis destinatis ostendebatur,<sup>16</sup> quae tamen paulo post finiebantur.<sup>17</sup>

Hae omnes res, in quas Archiabbas Norbertus incubuit, praeterea alium aspectum habebant, qui ei magnopere cordi erat. Hic aspectus scilicet erat ars sub omnibus variis momentis suis respecta, id est photographia, pictura, sculpturae conficiendae.<sup>18</sup> Etiamsi scripsit «*tempus otii arti destinatum esse*»,<sup>19</sup> tamen creationem artisticam esse partem operis



*Norbertus Weber  
cum episcopo Aureliano Bilgeri.*

15 *Cfr* epistula Norberti Weber die 9 m. Maii a. 1935 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). Archiabbas Norbertus hōc inceptō praeter alia etiam ad victum indigenarum meliorandum aliquid attribuere voluit. - De hac re *cfr* Hermengild WALTER: Ein treuer Diener seines Herrn. In: Mbl 51, 1956, p. 168. Illō locō praeterea commemoratur Norbertum Weber actuose in maiōcomū mulieribus Africanis destinatum incubuisse, cum hunc in modum magnae mortalitati matrum infantiumque occurrere voluit. Episcopum Thomam Spreiter incepto suo obstetricum excolendarum eundem scopum habuisse iam est commemoratum. *Cfr* cap. 4.6.2.1.



16 Norbertus Weber compluries commemoravit se symbolas «*Paginis missionariis*» destinatas composuisse, sic ex.gr. epistulā die 24 m. Febr. a. 1932 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASA, APr 578); epistulā die 26 m. Ian. a. 1933 ad Fidelem von Stotzingen datā (ASA, APr 578); epistulā die 16 m. Febr. a. 1934 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASA, APr 578).

Ex illis symbolis ex Africā missis adhuc notae sunt hae: Afrikanische Tagebücher. In: Mbl 36, 1932, pp. 234 sqq. (proh dolor illud diarium non iam exsistere videtur); Abtsweihe in Ndanda. In: Mbl 36, 1932, pp. 354 sqq.; Herz-Jesu-Freitag in Litembo. In: Mbl 37, 1933, pp. 314 sqq.; Priester- und Missionsjubiläum in Litembo. In: Mbl 37, 1933, pp. 367 sqq. (haec symbola spectabat ad P. rem Hilarium Kaiser); Ostern in Litembo. In: Mbl 38, 1934, pp. 110 sq.; Kirchweihfest in Mnero. In: Mbl 38, 1934, pp. 138 sqq.

17 Fieri potest, ut etiam non omnes symbolae, quas Norbertus Weber misit, divulgatae sint.



18 Pelliculas cinematographicas conficere Norbertus Weber in Africa desierat.

19 Epistula Norberti Weber die 26 m. Ian. a. 1933 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578).



*Archiabbas Norbertus photographus.*

missionarii existimavit. Nam pleraeque picturae sculpturaeque ipsius ad ecclesias variarum stationum missionariarum ornandas erant factae.<sup>20</sup> *Chris-*





*Archiabbas Norbertus delineator.*

*tiani verisimiliter incitamenta ex imaginibus haurient et in ecclesiā orando magis domi esse se sentient», ut de his operibus scripsit.<sup>21</sup>*

---

20 Ad stationem Litembo referens Archiabbas Norbertus scripsit opera, quae in praesenti faceret, pertinere ad instructionem «*ecclesiae nostrae ceterum pulchra, sed intrinsecus vacuae.*» - Cfr epistula Norberti Weber die 26 m. Ian. a. 1933 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578).

21 Epistula Norberti Weber die 9 m. Aug. a. 1935 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.01.5).



*Archiabbas Norbertus pictor et sculptor.*

Intentissime Norbertus Weber in labores suos artificis incubuit.<sup>22</sup> Itaque in statione Litembo opificinam sive technyphion sibi instruxit, in quo non solum varia articia sunt praeparata, sed etiam nonnulla horum operum sunt confecta. Tempore autem, quod in Africa Orientali dedit, Norbertus Weber praeterea genus sibi novum repperit, nempe figuræ fictiles coquere coepit. Ad talia articia efficienda secundum consilia sua fornacem specialem erigendam




*Archiabbatis Norberti opicina  
in statione Litembo sita, quae adhuc exstat.  
[Photographēma a S.re Monica Groth OSB  
factum.]*

22 De Norberti Weber opicina artis *cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 184 sq.; Hermengild WALTER: Ein treuer Diener seines Herrn. In: Mbl 51, 1956, p. 169; Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 174 de Norberti Weber artificiis quibusdam scribit.




*Archiabbas Norbertus in opicina sua.*

curavit. Cum genus huius laboris ei erat novum, iterum iterumque experientia erant facienda, et fornace et ipsis figuris.



*Fornax in statione Litembo constituta.*



*Figura quaedam ab cooperatoribus fornaci inseritur.*

Quantopere Archiabbas Norbertus in artificiis conficiendis operatus sit, etiam in eo animadvertisit, quod ad ecclesias in nonnullis stationibus missiōnariis ornandis aliquid attribuit et praeterea pro domibus Sororum quaedam



*Altare, quod Sanctae Mariae  
Fatimensi dicatum est, ecclesiae  
in statione Nandembo sitae.*



*Altare Sanctae Annae dicatum  
in stationis Nandembo cappella Sororum.*

artificia creavit.<sup>23</sup> Praeter opera religiosa ecclesiis destinata tamen alium impetum quendam artificis non est oblitus, nempe picturas aquarias pingere, quibus imprimis regiones Africane monstrantur, sed interdum themata quoque religiosa ostenduntur.

Praesertim quod attinebat ad opera sua maiora, id est ad sculpturas atque ad figuras in fornace exaratas, Archiabbas Norbertus cooperatores Africanos habuit, qui eum ad altaria constituenda eaque conficienda etiam ad alias

---

23 Ipse in commercio suo epistulari nonnullas ecclesias commemoravit, pro quibus imagines altarium confecerat, sic exempli gratiā in loco Mnero (*cfr* epistulae die 15 m. Nov. a. 1933 ad Fidelem von Stotzingen (ASA, APr 578) et die 25 m. Nov. a. 1933 ad Thomam Spreiter (ASO, Z.3.01.5) directae), in loco Maguhu et in loco Kindimba (*cfr* epistula die 9 m. Aug. a. 1935 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.01.5)), in statione Litembo atque pro ecclesiis aliarum stationum (*cfr* epistula die 15 m. Mart. a. 1937 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578)), sed etiam pro ecclesia stationis Ndanda, ubi altare Stellae Maris dicatum et duo altaria lateralia creaverat (*cfr* epistulae diebus 8 m. Dec. a. 1950, 14 m. Jun. a. 1951, 10 m. Aug. a. 1951 ad Engelbertum Giersbach missae (ASO, K FG 9 IIa)). Pro ecclesia quoque stationis Mikindani Norbertus Weber altare Stellae Maris dicatum exaraverat. Hoc thema ei cordi fuisse non est mirandum, cum eius dictum abbatiale erat «Ave Stella Maris».



*Altare Stella Maris dicatum  
in ecclesia stationis Mikindani  
inveniendum.*

stationes comitati sunt. Africanos suos cooperatores Archiabbas Norbertus scilicet in variis facultatibus artificis scilicet etiam instruxit docuitque, ita ut unus alterve eorum deinde propria artifia exararet.<sup>24</sup>

Omnibus laboribus, quos Archiabbas Norbertus susceperebat, manifestatur eum celeriter atque bene Africae Orientali assuefactum esse et pro regione missiōnariā magno usui fuisse et videlicet etiam valde aestimatum atque dilectum fuisse. Norbertus Weber ipse hunc in modum sententiam protulit se secundum sensūs putare se iam per totam vitam in Africā versari.<sup>25</sup> Talis perceptio certe etiam sic se habuit. Nihilomi-

nus in ipso commercio epistulari cum Fideli von Stotzingen habitō mirus animi affectus animadvertisit, de quo non satis certo scitur, num appelletur deceptio, frustratio, misericordia sui ipsius vel spes in contradictionem.<sup>26</sup> Nam Archiabbas Norbertus saepe dixit se in Archiabbatiā Ottiliensi Congregationeque in oblivionem venisse<sup>27</sup> atque ibidem e memoria prorsus eva-


24 Non semper Archiabbas Norbertus effectibus talium operum contentus erat. Sententiam generalem de hoc themate protulit in epistulā die 10 m. Aug. a. 1951 ad Engelbertum Giersbach directā (ASO, K FG 9 IIa): «*Non pugno contra «indigenarum» genus agendi. Quod volo, est, ut artifices futuri naturae studeant neque proximō quōque opere phantasiae suae contenti se magnos artifices esse putant.*» Et: «*Ars vera tamen rei studere debet, imprimis naturā adhibitā atque in ipsā naturā realitateque, neque tantummodo imaginationem sequatur.*» - Norbertus Weber praeterea symbolam quandam fundamentalem de hōc themate ad «*Paginas missionarias*» misisse videtur. Hoc commemoravit in epistulā die 8 m. Dec. a. 1950 ad Engelbertum Giersbach datā (ASO, K FG 9 IIa). Haec symbola tamen non est divulgata.

25 Cfr epistula Norberti Weber die 24 m. Febr. a. 1932 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578); epistula Norberti Weber die 24 m. Febr. a. 1932 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.01.5).

26 Scitū dignum est talia enuntiata revera solum in epistulis ad Fidelem von Stotzingen directis apparere.

27 Cfr ex.gr. epistulæ Norberti Weber diebus 24 m. Febr. a. 1932, 26 m. Ian. a. 1933, 16 m. Febr. a. 1934 ad Fidelem von Stotzingen missae (ASA, APr 578).

nuisse,<sup>28</sup> quam perceptionem interdum adnotatione auxit rem ita bene se habere. Num ipse revera hoc bonum esse existimaverit, ei tamen non credi-



*Regio cum statione.*

*Picturae aquariae Norberti Weber.*



*Parietinae alicuius turris.*

tur. Nonnumquam rem exaggerat in sententiam se sensū stricto esse sine patriā.<sup>29</sup> Tamen nonnullae Abbatis Norberti adnotationes magis mirae sunt, cum exempli gratiā scripsit se de redditū in Europam non iam cogitare, cum Archiabbatia Otteliensis sibi occlusum esset,<sup>30</sup> vel cum in conexū, quo gaudium suum de pulchro progressū Congregationis missionisque verbis expres-

---

28 Cfr epistula Norberti Weber die 26 m. Ian. a. 1933 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578). In epistulā diei 16 m. Febr. a. 1934 (ASA, APr 578) praeterea scripsit: «*Ceterum dissolutio magis magisque progredi videtur. Iam tales subsequuntur, qui me omnino non iam noscunt.*»

29 Cfr ex gr. Norberti Weber epistula die 3 m. Mart. a. 1935 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578). Immo in epistulā die 17 m. Nov. a. 1934 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578) interrogavit, quo ire posset, si viribus deficientibus in missione non iam cooperari valeret. Talia verba sonant, tamquam in ipsā statione solum sustineretur et ipse, si non iam «utilis» esset, amoveretur. Talem modum se gerendi monachis Benedictinis atque confratribus suis non convenire ipse scire debuisset.

30 Epistula Norberti Weber die 15 m. Nov. a. 1933 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578): «*Cogitationem de redditū in Europam vehementer recuso. Omnino nescirem, quo irem, postquam Archiabbatia Otteliensis, de qua secundum Constitutiones putavissem mihi ius esse, occlusa est. Etiam hoc bonum erit rem ita evenisse, et raro de hac re cogito, et si cogito, tunc etiam solum opprobriis erga me ipsum.*»



*Statio Ndanda.*



*Sorores Africanae Sacratissimum Cor  
Iesu adorantes.  
Picturae aquaticeae Norberti Weber.*

sit, dixit se pro hōc progressū tantummodo fuisse obstaculum.<sup>31</sup> Etiam haec perceptio maxime a realitate abest. Nunc quaestio poni potest, cur Archiabbas Norbertus talia enuntiata solum erga Fidelem von Stotzingen protulerit. Voluitne fortasse aliquatenus conscientiam eius malam efficere, cum Abbas Primas quōque in resignatione ipsius partes egisset? Apud alios, qui illam rem participaverant, tales sententiae misericordiae propriae verisimiliter nullum effectum exseruissent.

Nunc conspectum quandam habemus, quomodo Archiabbas Norbertus vitam suam cottidianam transegerit et quomodo cum laboribus missionis atque cum laboribus stationis Litembo coniunctus fuerit. Tamen nonnulla referenda sunt, quae extra vitam cottidianam acciderunt.

Scitū digni sunt primo eventūs, quibus agebatur de quaestione, quā pro Abbatī Nullius Ndanda modo erectā Abbas inveniendus erat. Die 22<sup>o</sup> m. Dec. a. 1931<sup>o</sup> decreto Congregationis de Propaganda Fide Ndanda redditā erat Abbatia Nullius.<sup>32</sup> Hunc in modum regio missionaria dividebatur et

31 Epistula Norberti Weber die 3 m. Mart. a. 1935 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578): «*De una re caro Deo imprimis gratiae mihi agendae sunt, nempe Eum progressum solaciī plenum Congregationis nostrae me videre sinere, etiamsi mihi cogitandum est me tantummodo obstaculum huius progressū fuisse et eā de causā me amovendum fuisse. Tamen non de me agitur.*»

32 Fusius de ipsa re vide futuram partem quintam huius historiae.

necessarium erat, ut aliquis Abbas redderetur. Hac condicione evēnit, ut non solum Apostolicus Delegatus Archiepiscopus Arthurus Hinsley, sed etiam nonnulli monachi intra monasterium atque circumcirca īdem sententiam suam protulerunt, qua Archiabbas resignatus Norbertus Weber Abbas monasterii Ndanda reddendus esset.<sup>33</sup> Inter illos monachos etiam erat P. Ioachimus Ammann, qui ad hoc propositum firmandum argumenta protulit, quibus dixit Archiabbatem Norbertum adhuc esse virum providentem, eum experientiam missionis habere atque praeterea plenā confidentiā sacerdotum illius loci frui.<sup>34</sup>

Cum autem et Cardinalis Villelmus van Rossum Archiabbatem Norbertum quoad hoc munus non respiceret et Archiabbas Chrysostomus variis ex causis huic cogitationi non faveret, immo putaret sic missioni noceri,<sup>35</sup> propositum



*Inter sollemnitatem consecrationis ecclesiae abbatialis Abbatiae Peramiho.*

ris momenti Archiabbas Norbertus ut hospes specialis aderat, ut exempli gratiā in consecratione ecclesiae abbatialis Abbatiae Peramiho die 29<sup>o</sup> m. Iul. a. 1948<sup>o</sup> celebratā, ad quam sollemnitatem praeter alias Archiabbas Chry-

in irritum cecidit. Verisimiliter etiam ipse Archiabbas Norbertus non fuisset paratus ad hoc munus suscipiendum. Denique P. Ioachimus Ammann primus Abbas Abbatiae Ndanda redditus est. Benedictio Abbatis die 24<sup>o</sup> m. Aug. a. 1932<sup>o</sup> instituebatur. Principalis sacerdos celebrans erat Archiepiscopus Arthurus Hinsley, cui Abbas Gallus Steiger et Archiabbas Norbertus Weber assistentes adstiterunt.<sup>36</sup> Etiam aliis occasionibus maiori-

33 Cfr de hac re Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey (2008) 1, p. 392.

34 Cfr Lambert DOERR: Peramiho (1998) 1, p. 126; Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey (2008) 1, p. 392 partem illius epistulae affert, quam P. Ioachimus Ammann die 18 m. Mart. a. 1932 ad P.rem Adalricum Mühlbach Uznachensem miserat. Ibīdem legitur praeterea incepta pecuniaria in regione missionariā fieri non posse (allusio ad calamitatem Tragoessianam) et «certos homines» in Africā non versari, id est tales, qui contra Archiabbatem Norbertum agerent.

35 Cfr epistula Chrysostomi Schmid die 17 m. Ian. a.1932 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APR 578).

36 Cfr Siegfried HERTLEIN: Ndanda Abbey (2011) 2, pp. 27 sqq. - Cfr etiam epistula Galli Steiger die 22 m. Nov. a. 1932 ad Thomam Spreiter missa (ASO, Z.3.01.17).

sostomus quōque ex Archiabbiā Ottiliensi advectus erat.<sup>37</sup>

Cum Archiabbas Norbertus paulatim ad aetatem provectam perveniret, ipsi plura pluraque iubilaea agenda erant. Primum erat eius iubilaeum aureum muneris sacerdotis suscepti, quod die 25<sup>o</sup> m. Iul. a. 1945<sup>o</sup> celebrabatur. Dein-



*Sollemnitas quinquagesimi iubilaei sacerdotalis Norberti Weber.*

de die 20<sup>o</sup> m. Dec. a. 1950<sup>o</sup> diem natalem octogesimum celebrare potuit. P. Engelbertus Giersbach curaverat, ut hac occasione datā salutes papae tradērentur.<sup>38</sup> Talem ergo gratulationem Latine scriptam die 9<sup>o</sup> m. Dec. a. 1950<sup>o</sup> nomine papae Iohannes Baptista Montini ex secretariatū statali Archiabbiā Norberto misit, qua praeter alia Archiabbatis resignati merita aestimabantur.<sup>39</sup>

Sed sollemnitas maxime singularis in initio anni 1953<sup>i</sup> exspectanda erat. Nam tunc quinquaginta anni transacti erant, ex quibus Norbertus Weber benedictionem abbatialem acceperat. In Archiabbiā Ottiliensi hac occasione datā festum in honorem Archiabbatis resignati praeparabatur. Ad hoc festum Archiabbas Chrysostomus Norbertum Weber comiter invitavit eumque

---

37 *Cfr* Lambert DOERR: Peramiho (1998) 1, pp. 198 sq. - Die in sequente iubilaeum quinquagesimum stationis Peramiho conditae celebribatur.

38 *Cfr* epistula Engelberti Giersbach die 24 m. Nov. a. 1950 ad Antonium Traina missa (ASO, K FG 9 IIa).

39 *Cfr* epistula Iohannes Baptistae Montini die 9 m. Dec. a. 1950 ad Norbertum Weber directa (ASO, K FG 9 IIa).

rogavit, ut in Germaniam veniret.<sup>40</sup> Scilicet sine praesentiā illius, qui celebrandus erat, tale festum aliquatenus mirum fuisset. Archiabbas Norbertus, ut ipse dixit, numquam de sollemnitate iubilaei exhibendā cogitavit, non in Africā Orientali et minime in Archiabbiatā Ottiliensi. Etiamsi quasdam deliberationes protulit, quid sibi fieri possit et quid non - imprimis quia exercitiis in Africa Merdionali exhibendis iam antea assensus erat -, illa invitatio videlicet ei vere iucunda erat.<sup>41</sup> Nam in epistula sua responsoria scripsit haec:<sup>42</sup> «*Confiteor mihi magnum gaudium fore me Archiabbatiam Ottiliensem atque reliqua monasteria nostra denuo visurum esse et quosdam*



*Audientia papae Pii XII anno 1952º Norberto Weber praebita.*

*Iuxta papam a sinistris Norbertus Weber, a dextris P. Engelbertus Giersbach, in anteriore parte genua flectentes in medio P. Witmarus Metzger, iuxta ipsum P. Dietramus Hofmann.*

*vultūs dilectos carosque et iuuentutem spei plenam.» Itaque invitationem accepit et promisit se decursū mensis Ianuarii anni 1953<sup>i</sup> adventurum esse.*

40 Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 173 scribit Archiabbatem Chrysostomum Norbertum Weber «iuississe», ut ad iubilaeum abbatiale domum veniret. Sed talem progrediendi modum satis vehementem in invitatione iveniri, ex epistula responsoria Archiabbatis Norberti non probatur.

41 Diutissime enim Archiabbiati Norberto de assensione suā non erat deliberandum, cum epistulam suam responsoriā uno die, postquam invitatio ei allata erat, misit.

42 Cfr Norberti Weber epistula die 2 m. Maii a. 1952 ad Chrysostomum Schmid data (ASO, A.1.8.1). - Quaedam verba tamen sunt typica pro modo Norberti Weber, quem inde ex ultimis annis temporis Archiabbatis, exhibuerat. Sic cum exempli gratiā scriberet: «*Bonum est, cum alii pro me cogitent et responsalitatem modi me gerendi suscipiant.*»

Quod attinebat ad iter suum in Europam faciendum, Norberto Weber ab initio in animo erat Romae brevem commorationem interponere.<sup>43</sup> Nam animi desiderium erat in eo, ut ei rursus audientia papae Pii XII ab ipso culti praeyeretur. Hoc desiderium expletum est et Archiabbas Norbertus inter commorationem suam Romanam audientiā privatā cum papā in Arce Gandulfi<sup>44</sup> convenire valuit.<sup>45</sup> Hōc occursū iterato Archiabbas Norbertus valde commotus erat et eundem ut unum ex culminibus itineris sui perceptit.<sup>46</sup> Ottilianis autem monachis, qui illo tempore Romae atque in Abbatīa Sancti



*Archiabbas Norbertus unā cum Ottilianis in Abbatīa Sancti Anselmi receptus.*

A sinistris: Fr. Orlandus Ott (Ottil.), Fr. Germarus Bolc (Suarz.), P. Bernhardus Hoffmann (Swikk.), Fr. Tarsitius Wehner (Suarz.), P. Engelbert Giersbach, P. Remigius Rudmann (Ottil.), Archiabbas Norbertus Weber, P. Thomas Rückert (Suarz.), P. Witmarus Metzger (Suarz.), P. Michael Frickel (Ordinem reliquit), P. Cassius Hallinger (caput dimidiatum), P. Dietramus Hofmann (Suarz.), Fr. Cunibertus Karg (Ottil.).

43 *Cfr* epistula Norberti Weber die 2 m. Maii a. 1952 ad Chrysostomum Schmid directa (ASO, A.1.8.1); epistula die 29 m. Sept. a. 1952 ad Engelbertum Giersbach missa (ASO, K FG 9 IIa).

44 Arx Gandulfi: *Castel Gandolfo*. - *Cfr* Carolus EGGER: Lexicon nominum locorum. Romae 1977, p. 75.

45 *Cfr* epistula Norberti Weber die 2 m. Febr. a. 1953 ad Pium XII directa (ASO, K FG 9 IIa), quā ei praeter alia iterum gratias egit pro audientiā praebitā.

46 Hunc in modum scripsit in epistulā suā die 18 m. Iul. a. 1953 ad Engelbertum Giersbach missā (ASO, K FG 9 IIa).

Anselmi versabantur, praesentia Archiabbatis Norberti erat eventus maximi momenti atque eorum animos magnopere movit.<sup>47</sup>

Ipsum festum iubilaei in Archiabbatia Ottiliensi habenda propositum erat, ut Kal. Febr. a. 1953<sup>o</sup> fieret, id est illo die, quo Norbertus Weber anno 1903<sup>o</sup> benedictionem abbatiale acceperat.<sup>48</sup> Consilium autem erat in eo, ut solemnitas tantummodo intra Congregationem locum haberet, id est hospites magnā ex parte solum praelati Congregationis Ottilianaē invitarentur. Archiabbas Chrysostomus - verisimiliter etiam ex causis pecuniariis - celebritatem maxime extendi noluit, cum exempli gratiā, si unus alterve Abbas ad Congregationem non pertinens invitaretur, etiam omnes alii invitandi fuisserent. Haec omnia cum senioratū atque cum Archiabbatore Norberto compluries iam disputata erant. Tamen Archiabbi Norberto concessum erat, ut nonnullos episcopos praelatosque cum ipso coniunctos et scilicet amicos cognatosque invitaret.<sup>49</sup>

Festum postmeridiano tempore diei 31<sup>i</sup> m. Ian. a. 1953<sup>o</sup> incohatum est vesperis potificalibus et deinde vespertino tempore salutatione hospitum. Kalendis Februariis primo missa sollemnis celebrabatur, quam prandium et deinde vesperae pontificales sequebantur. Postmeridiano tempore illius diei «academia festiva», quae dicitur, instituebatur, qua continebantur orationes, acroamata musica, carmina atque spectaculum quoddam.<sup>50</sup> Ut donum vero


---

47 Sic colloquiis privatis saepius narravit P. Remigius Rudmann OSB. Ceterum P. Remigius Archiabbi Norberto postea in Africā iterum occurrit.

48 Electio abbatialis facta erat die 18<sup>o</sup> m. Dec. a. 1903<sup>o</sup>. - De electione atque de benedictione abbatiali *vide* Vol. 1, cap. 2.5.3.

49 Has condiciones Chrysostomus Schmid in epistula die 14 m. Ian. a. 1953 ad Norbertum Weber data (ASO, A.1.8.1) iterum explicuit. Haec explicatio necessaria fuisse videtur, cum P. Rochus Schroth, qui in praeparando atque in invitationibus mittendis occupatus erat, hac in quaestione videlicet perturbationem quandam excitavisset, fortasse Archiabbatore Norberto interrogante. Chrysostomus Schmid, qui illo temporis momento Ves-sobrunnae commorabatur, P.ri Rocho epistulam aliquatenus indignatam misit (ASO, A.1.8.1), quae incohatur sententiā hac: «*Mihi satis iniucundum est te et insuper me absente in rem vere difficilem immiscuisse, quae iam pridem in omnes partes disputata atque peracta est.*»

50 Cf Festprogramm zum Goldenen-Abtjubiläum von Rms. Vater Erzabt Norbertus O.S.B. 1. Februar 1953 (ASO, K FG 9 IIa). - Illa «academia festiva» praeterea diei natali septuagesimo Archiabbatis Chrysostomi dicata erat (natus 3.2.1883). - Pagina exhibita, cui inscribitur «In memoriam quinquagesimi iubilaei abbatialis» («Zur Erinnerung an das 50jährige Abtjubiläum») iucunde facta est et verisimiliter ab ipso Archiabbatore Norberto excogitata. Vere hilaris est eius ultima sententia haec: «*Paratus sum. Africa vocat!*»



*Archiabbas Norbertus  
occasione iubilaei receptorus.*



*Iubilaei charta memorialis.*

praecipuum e Roma missum papa Archiabbiati Norberto concessit, ut Benedictionem Apostolicam largiretur.<sup>51</sup>

Spatio temporis, quo in Archiabbiati Ottiliensi versabatur, Archiabbas Norbertus etiam ad colloquia visitationesque uti voluit, quamquam talia «*propter frigora hiemalia*», ut dixit, non eo modo contigit uti speraverat.<sup>52</sup> Medio mense Februario a. 1953<sup>i</sup> deinde in Africam Orientalem revertit.

Commoratio in Archiabbiati Ottiliensi Archiabbiati Norberto, etiamsi aliquatenus fatigans, tamen grata iucundaque fuisse videtur. Hoc manifestatur, cum scripserit haec:<sup>53</sup> «*Grato animo de Archiabbatia Ottiliensi recogito. [...]*

51 Documentum Pii XII die 29 m. Ian. a. 1953 ad Norbertum Weber missum (ASO, K FG 9 IIa): «*Dilecto Filio Norberto Weber O.S.B. Archiabbiati, qui a suscepto abbatis Honore et munere decem fauste impleta celebrat lustra, propitiam adprecati gratiam opemque Dei, laetitiae sanctae pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.*»

Ut haec licentia praebetur atque transmitteretur, itereum P. Engelbertus Giersbach curaverat.

52 Cfr de hac re epistula Norberti Weber die 25 m. Mart. a. 1953 ad Chrysostomum Schmid data (ASO, A.1.8.1). - Archiabbas Norbertus in itinere redditūs, fortasse iam in ipsā Archiabbiati, infectionem grippalem sibi contraxerat.

53 Epistula Norberti Weber die 25 m. Mart. a. 1953 ad Chrysostomum Schmid directa (ASO, A.1.8.1).

*Omnibus ex partibus tantum amorem et etiam incitamenta accepi, quae in Africam rettuli. Tibi dilectissimo Patri Archiabbiati, P.ri Priori, omnibus Patribus, Fratribus clericis, Fratribus sincere dico ‘remuneret Deus’ pro toto, quod Archiabbatia Ottiliensis his diebus pulchris mihi fuit.» Et ab aliis audivit praesentiam suam «commotionem diu manentem effecisse». <sup>54</sup>*

Alius magnus eventus breviter commemorandus est, nempe iubilaeum sexagesimum sacerdotale, quod die 25<sup>o</sup> m. Iul. a. 1955<sup>o</sup> in Africā Orientali celebrabatur. Ad hoc festum non solum vota bona ex Archiabbiatā Ottiliensi accepit,<sup>55</sup> sed etiam ex Urbe Romā ei denuo licentia praebita est, ut Benedictionem Apostolicam largiretur, quae unā cum epistulā personali atque amicali papae Pii XII ei transmissa est. Textus huius epistulae est hic:<sup>56</sup>

*«Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.*

*Optime sane jure religiosi tui sodales, ut libenter comperimus, consilium suscepérunt, ut tibi, feliciter exeunte sexagesimo a suscepto sacerdotio anno, fervidas obsequii amorisque significationes declarent. Illud profecto excelsum munus, quod tibi cum presbyteratus ordine conlatum est, ipse egregia nitens in Deum pietate singularique erga proximos caritate flagrans per diuturnam hanc annorum seriem actuose alacriterque sustinuisti. Nota sunt*

---

54 Hunc in modum Norbertus Weber rem protulit in epistulā die 18 m. Iul. a. 1953 ad Engelbertum Giesbert datā (ASO, K FG 9 IIa). - Johannes MAHR: Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2005), p. 173 scribit Norbertum Weber in Archiabbiatā Ottiliensi non fuisse exoptatum. Hac sententiā unā ex parte contradicunt testimoniis modo allatis, alterā ex parte interrogandum est, si condicio revera sic se habuisset, cur in Archiabbiatā omnes labores sumptūsque iubilaei celebrandi suscepti sint et insuper Archibbas Norbertus invitatus sit, ut veniret. Alter omnia faciliora atque minus sumptuosa reddi potuissent.

P. Martinus Trieb OSB hodiernis temporibus adhuc narrat se tempore iubilaei abbatialis fuisse discipulum in gymnasio Ottiliensi et omnes discipulos a personā Archiabbatis resignati maxime commotos fuisse.

Ad quaestionem supplendam, num Norbertus Weber exoptatus fuerit: Archibbas Norbertus, ut appareat, ad Chrysostomi Schmid iubilaeum aureum votorum prolatorum invitatus erat, ut iterum in Germaniam veniret (*cfr* epistula Norberti Weber die 2 m. Sept. a. 1954 ad Chrysostomum Schmid directa (ASO, A.1.8.1)). Etiam ad Chrysostomi Schmid iubilaeum argenteum benedictionis abbatialis acceptae invitatus erat (*cfr* Norberti Weber epistula die 14 m. Iun. a. 1955 ad Chrysostomum Schmid missa (ASO, A.1.8.1)). Utramque invitationem senectutis causā recusavit.

55 Gratias pro his votis Norbertus Weber rettulit in epistula die 14 m. Iun. a. 1955 ad Chrysostomum Schmid directa (ASO, A.1.8.1).

56 Epistula Pii XII die 3 m. Iul. a. 1955 ad Norbertum Weber data (ASO, 1.8.2).


*inter cetera felicia illa incrementa, quae Ottiliensis ista Congregatio Ordinis Sancti Benedicti pro exteris Missionibus percepit, quum tu per triginta fere annos eidem cum Archiabbatis dignitate moderatus es. Nos autem, qui egregia animi tui ingeniique ornamenta sollertesque officiorum tuorum curas atque sollicitudines jam cognovimus, dum Monacensi in urbe Nuntii Apostolici munere fungebamur, quique arcta amoris fidelitatisque vincula, quibus Apostolicae huic Sedi Nobisque devinctus es, plane perspecta habemus, praeciarlam faustitatis istius opportunitatem libenter nanciscimur, ut tibi, Dilecte Fili, de sacro ministerio tam diu utiliterque exercito ex animo gratulamur, a Deo impensa prece exorantes, ut supernis donis solaciisque recreatum ad seros usque annos te servare benigne velit. Cujus interea caelestis praesidii in auspiciu inane peculiaris Nostrae caritatis pignus Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili, tuisque religiosis sodalibus, in primisque Abbatii nullius de Peramiho, amantissime in Domino impertimus.*

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis Julii anno MDCCCLV,  
Potificatus Nostri septimo decimo. Pius PP. XII»*

Postquam ex Germaniā revertit, Archiabbas Norbertus labores suos modo solito iterum susceperebat, quamquam iidem viribus minutis ei magis magisque difficiliores redditu sunt atque partim pro viribus suis erant nimii.<sup>57</sup> Tamen sensū officii obligatus saepe vires proprias non respexit. Iam pridem Archiabbas Norbertus difficultatibus valetudinis laboravit, imprimis problematis cordis. Nihilominus e valetudinario statū malo tractatione curationeque diligenti semper iterum aliquatenus refectus erat. Sed eius condicio mense Martio a. 1956<sup>i</sup> - etiamsi breviter melius reddita - tantopere peiorata est, ut die 3<sup>o</sup> m. Apr. a. 1956<sup>o</sup>, die Martis festi Paschatis, in statione Litembo octo-

---

57 Sic exempli gratiā P. Nathanael Biller, illius temporis Superior stationis Litembo, Norbertum Weber rogaverat, ut curam horti susciperet, cum tantummodo unus Frater in statione Litembo versaretur. Quamquam hic labor supra vires suas erat, ut ipse confessus est, precem reicere non valuit (*cfr* epistula Norberti Weber die 18 m. Dec. a. 1953 ad Engelbertum Giersbach missa (ASO, K GF 9 IIa)). In initio m. Ian. a. 1956<sup>i</sup> Norbertus Weber Engelberto Giersbach rettulit (1.1.1956 (ASO, K FG 9 IIa)) se festo Natalicio tres missas celebravisse et se hunc in modum valetudine suā abusum esse. Tertiam missam sibi «*propter condiciones*» insuper celebrandam fuisse, hoc significat alium sacerdotem non adfuisse (*cfr* Engelberti Giersbach responsum die 5 m. Ian. a. 1956 ad Norbertum Weber datum (ASO, K FG 9 IIa)).



*Ultimum photographēma Norberti Weber  
autumno anni 1955<sup>o</sup> in statione Namgombo receptum.  
A sinsitris: P. Clemens Künster, Archiabbas Norbertus,  
P. Alfonso Graf, P. Suso Brechter.*

ginta quinque annos natus vitā functus esset.<sup>58</sup>

Nuntius de morte Norberti Weber celeriter dissipatus est, non solum telegraphēmate in Archiabbatiam Ottiliensem missō, sed etiam Romam ad varias Congregationes atque ad papam directus.<sup>59</sup> Nuntio obitūs Norberti Weber divulgato innumerae epistulae condolentiae ad Archiabbatiam Ottiliensem perlatae sunt, a confratribus in regionibus missionariis versantibus et ex monasteriis Ottilianis Europaeis, ab hominibus privatis, a personis in dignitate ecclesiasticā constitutis, ab Abbatibus episcopisque intra Germaniam et extra eandem missae.<sup>60</sup> Quamquam inde ex resignatione suā viginti quin-

58 P. Bertramus Müller epistulā suā circulari die 4 m. Apr. a. 1956 e loco Peramiho missā (ASO, K FG 9 IIa) breviter de ultimis diebus Archiabbatis Norberti rettulit. Quia curas de eo sensit, Abbas episcopus Eberhardus Spies compluries eum invitaverat, ut ad Abbatiam Peramihoensem veniret, ut ibidem melius curari posset. Hoc vero propositum Archiabbas Norbertus recusaverat, quia in statione Litembo manere voluit, et etiam existimavit se iam paulo melius habere. Immo iam consilia ei erant, qua novam imaginem altaris ecclesiae stationis Wukiro destinatam componere in animo habuit.

59 Cfr commercium epistulare Engelberti Giersbach cum institutis Romanis (ASO, K FG 9 IIa).

60 Hae epistulae condolentiam exprimentes collectae sunt sub numero ASO, A.1.7.3.

que annos in Africā Orientali commoratus erat, Archiabbas Norbertus in oblivionem non venerat.<sup>61</sup>

Sepeliebatur Archiabbas Norbertus die 4<sup>o</sup> m. Apr. a. 1956<sup>o</sup> in coemeterio Abbatiae Peramihoensis.<sup>62</sup> Epitaphium sermone Suahelico scriptum est et



*Sepulcrum Archiabbatis Norberti Weber in coemeterio Peramihoensis situm.  
Photographēmata ab Abate Anastasio Reiser facta.*

iuxtaposita sunt abbatiale insigne Norberti Weber atque insigne Congregationis Ottilianae.<sup>63</sup> Sollemnitas pontificalis missa funebralis die 5<sup>o</sup> m. Apr. a. 1956<sup>o</sup> in ecclesia abbatiali Peramihoensi celebrata est et die 12<sup>o</sup> m. Apr. a. 1956<sup>o</sup> Archiabbas Chrysostomus opus divinum lugubre Archiabbiati Norberto

- 
- 61 Ex multis necrologiis atque aestimationibus, quae in periodicis divulgabantur, tantummodo pauca commemorentur: Hermengild WALTER: Ein treuer Diener seines Herrn. Ein Erinnerungsmal für + Erzabt Norbert Weber O.S.B. In: Mbl 51, 1956, pp. 137 sqq.; Irmengard BACHEM: ... und sein Lohn sei Friede. Rms. Erzabt Norbert Weber in memoriam. In: Missionsecho 25, 1956, pp. 103 sq.; Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. Erzabt Norbert Weber zum Gedächtnis. In: KM 75, 1976, pp. 113 sqq.
- 62 «imā magnā cruce coemeterii, quae magis ad sepulcra missionariorum transferetur», ut P. Bertramus Müller in epistulā suā circulari scripsit (ASO, K FG 9 IIa).
- 63 Domuncula, quae in photographēmatis conspicitur, in initio non erat et postea versimiliter ab Abate Lambertu Doerr aedificanda curabatur.

dicatum celebravit.<sup>64</sup> Cum eius sepulcrum ipsum in coemeterio Peramahoensi situm esset, in honorem Archiabbatis Norberti in Ottiliensi ecclesiā abbatiali tabula memorialis suspensa est, quae in laterali cappella curcis invenītur.<sup>65</sup>

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 230, 2022, pp. 499-521]

- 
- 64 Allocutione suā longā Archiabbas Chrysostomus magna merita Norberti Weber ad monasterium, Congregationem missionemque spectantia aestimavit, tamen non reticens gravem crucem Archiabbatis Norberti, nempe calamitatem praedii Tragoessiani. - *Cfr* Chrysostomus Schmid: Ansprache bei dem Trauergottesdienst für den am 3. April 1956 in Litembo, Ostafrika, heimgegangenen Hochwürdigsten Herrn Dr. h.c. Norbertus Weber, freiresignierter Erzabt von St. Ottilien (ASO, A.1.8.1).
- 65 Textui ipso superscripta est sententia, quae est «Intus monachus, foris apostolus».